

_Lettera_N_3142

Al vescovo di Lublino

*Datum Romae, die XV martii MDCCCLXXX

Ad majorem Dei gloriam lucrumque animarum testamur admodum Reverendum Matthaeum Grochowski quatuor circiter annos in Salesiano Asceterio Taurini commorasse. Hoc tempore nostram humilem congregationem votis perpetuis simplicibus professus est, studio operam dedit, et ad presbyteratum promotus fuit. Nunc vero genitricis suae egestatem sublevandi gratia, emissorum votorum relaxationem instanter postulans eius vota obsecundare volentes, atque auctoritate a nostris constitutionibus concessa utentes, peti tam dispensationem per dimissionem in Domino concedimus.

Quapropter eundem sacerdotem Matthaeum Grochowski Episcopo Lublinensi Ordinario originis remittimus adnotantes iuxta Ecclesiae praescriptiones eum suspensum esse donec episcopum acceptatorem invenerit, qui eidem titulum ecclesiasticum constituerit. Adnotamus insuper postulatorem Theologiam dogmaticam nondum complevisse et de casibus moralibus nullum examen dedisse. Hisce positis declaramus D. Matthaeum Grochowski toto tempore quo remansit apud nos, semper se gessisse, quoad mores, pietatem, atque adspiritum ecclesiasticum quemadmodum decet eos qui in sortem Domini sunt vocati.

Propterea humillime eundem Sacerdotem Ordinario suo in Domino commendamus ut ei benevolentiam et adiutorium praebeat, rogantes Deum, ut omnibus eius benefactoribus reddat mercedem magnam nimis.

Sac. Joannes Bosco

Superior Generalis Societatis S. Francisci Salesii